

Nicolaus de pax perquā reuerēdis ac

magnificis dominis. D. Decano & Capitulo pōtifficālis Ecclesiāe Maioricēsis manuum oscula.



Vnum me tam diu siluisse pūderet/eximii Patres: nō sum ausus ante conspectū dñationis. V. sine aliquo seruitio apparere. Orationē de hispaniāe nrae laudibus offero: quā in hac celebri vniuersitate paucis antehac mēsis habui. Et quāquā litteratissimo cētui profam balearē cordi fuisse audio: eam tamē vulgare timuissē: nisi Antonio Nebrissensi non displicuisse recolerē. Sed nolim existimari: me negotio tantillo insolescere. Paulo maiora fortasse mens agitāt. Quumq; ita foret: vt prudentissimae commendationis vestrae suffragia cuperem: esset laudis amor/virtutis initium: sicut sapientiae/timor domini. Quippe laudabilem moderata gloriae cupiditas aut inuenit aut facit. Nisi. n. rex Alexander fauisset Aristoteli/nisi Vergilio Mecenas/vtq; alios praetermittam: nisi Antonio Nebrissensi latināe linguae instauratori clarissimo Rex & Regina catholici humanissime aspirassent: forsā illorum ingenia/tametsi viuida/ fauoris imbre destituta marcuissent. Qui autem generoso natus est animo: si gloriam virtuti futurā senserit: praecleara meditatatur/elaborat grandia/& magno viro digna conatur. Nihil illi tam difficile: quod nominis ingenua desideria non superent. Hec praemissa volui: vt dominatio. V. meminerit: quantum sit penes vos Patres colendissimos/ beneficentia. V. fauore/ pollicitis/ & exhortatione cordatissima istius regni Balearis ingenia ad virtutes & litteras animare. Compluti/ Anno domini. 1521.

Argumentum sequentis Orationis.

Secundo quoq; anno in hac Complutensi vniuersitate creatur licentia sacrae theologiae p mēsem Nouēbrē. Anno igit dñi 1520. pridie q̄ licentia celebraretur/ post meridiē/ nobili magistrorū & scholarū ducto comitatu & procedentibus sambucis/ tympanis/ mulisq; id gen⁹/ ex edib⁹ dñi Cancellarij per mediā Compluti ad aulā theologiae paranymphus (.i. orator) purpurat⁹ accessit. Principio hispaniae laudes carptim & p tēporis breuitate discursit. Quibus pauca de. Rino. dño nro Cardinali/ de Collegio/ ac de ipsorū quatuor licentiatorum cōi laude subiicit. Deinde iuxta antiquatē bachallariatuū ad. S. Sotani me cōuertit. Tradidit chirographū. Respondit mihi eleganti orōne: vt ceteri. Hauiissime reliq; virtutum alloquor pari serie seruata. Orationes vero ipsorum licentiatorū his meis non interposui: quia illis nimium commendabas

Oratio Nicolai de pax Patri

ci Maioricēsis ad insignem Vniuersitatem Complutensem habitā/ quando paranymphū (vt appellatur) munere functus est. Anno domini. 1520.



Inter orbis terrarum prouincias versetur de principatu contentio/ senatus amplissime/ singulis bona sua praedicantibus/ difficulter poterit difficilis altercatio terminari. Quaedam enim nationes gentis suae vetustate gloriantur/ aliae bellaces animos iactant/ aliae robusta corpora/ pars gentis industriā/ pars ostentat imperii latitudinem. Quidam populi feracibus terris/ alii metallorum freti opulentia/ praestare sese aliis opinantur. Postremo illa fortasse regio praeferrī debere putabitur/ quae in eo/ quod est in terris optimum/ antecellit: quae scilicet praeceteris vbertatem soli/ aerisq; temperiem sortita: producit homines & corporis & animi vigore praestantissimos. Sed quoniam inter praecleara caeli mundiq; ornamenta nihil homine studioso dignius: nihil praeterea vilius iniquo natura sustinet: non est satis ad prouinciae maiestatem: si homines suos faciat naturae muneribus abundare. Nihil enim aut parum admodum illa profutura sunt: nisi assiduo vsu atq; industria excolantur. Quippe quantum natura nostra: siue difficilis siue benigna sit: artis ope indigeat: nata ex inertia & ocio dannamonstrarunt. Quamdiu emula Romani imperii Carthago punica floruit: Romana inuentus militiae labore durata: senatus vero rebus vndiq; prouidendis agitatus: nihil tam arduum cogitabant: quod non auderent interriti: nihil audebant: quod facile non assequerentur. Ita exiguus populus primum ex gente vaga & pastoribus adunatus: industriae magis: q̄ fortunae praesidio totum orbem domuisse cōpertus est. Postea vero: q̄ triumphatis hostibus ac pacato vbicq; imperio quiescere Romani: desidia & luxu in omne vitiorum dedecus soluti sunt. Mox enim dominationis ac pecuniae siti imbuta pectora: mirabile dictu est: quā facile putruerunt. Tandem quasi mutuo contagio corrupti mores ciuitatis enervata gentis corpora: hebetes: pauidosq; animos reddidere. Et quos diutissima bella inuictos praestiterant: molli vitae licentia superauit. Quamobrem summis viribus & claro ingenio natum esse: licet egregie laudis fundamentum sit: ea tamē